



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. De modo, quo faceinda est translatio Episcopi, & de causis, ac effectibus ejusdem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

merâ potestate humanâ solvi non potest: & quamvis etiam alii inferiores Prælati, suo modo, & in sensu quodam latiore sponsi suarum Ecclesiarum dici possint, quia tamen hæc appellatio tam propria non est, hinc tales inferiores Prælati auctoritate suorum Superiorum immediatorum, sæpè taliter à suis Ecclesiis transferri possunt.

## §. II.

*De pœnâ Episcopi, propriâ auctoritate transeuntis ad aliam Ecclesiam, & an is cogi possit ad transeundum?*

**I**N pœnam autem transitus talis, quem propriâ auctoritate à sua Ecclesia ad aliam, præsertim majorem & ditio- rem, fecit Episcopus, utrâque carere debet juxta *c. quanto 3. h. t.* (saltem post sententiam condemnatoriam judicis) vel si propriâ auctoritate suam dimisit aut alienam accepit, saltem illâ, quam taliter dimisit, aut accepit, privari debet, ut in eo puniatur, in quo deliquit, & suo effectu careat ambitio illius. Quod pos- sit autem invitum etiam, si necessitas, aut utilitas jubeat, ab unâ Ecclesiâ sepa- rare Episcopum summus Pontifex, & alteri nolentem alligare, communis Ec- clesiarum cura, quæ Summo Pontifici imminet, probat.

## §. III.

*De modo, quo faciendâ est translatio Episcopi. & de causis, ac effectibus ejusdem.*

**R**egulariter fieri debet, à minore ad majorem dignitatem, cum pro-

motiones tales gradatim ab inferioribus ad superiora fieri debeant, prout colligitur ex *c. 1. h. t.* & hinc, cui concessa est facultas transeundi ad majorem di- gnitatem, non potest vi illius transire ad parem, seu minorem dignitatem, uti habetur etiam ex *c. licet 4. h. t.* cum fa- cilis Pontifex dispense, exigente ita utilitate Ecclesiæ, in promotione ad majora, quàm ad paria aut minora, nisi fundetur causa concessiois, seu dispen- sationis super habilitate Personæ, quæ nonnunquam sufficiens, & utilis esse po- test ad minora. Causæ autem transla- tionis communiter sunt duæ, Necessitas scilicet & Utilitas Ecclesiæ. Effectus autem hujus translationis sunt, 1. Quod ma- trimonium spirituale inter Episcopum transferendum, & priorem Ecclesiam, à qua transfertur, dissolvatur. 2. Quod alteri Ecclesiæ jungatur taliter Episco- pus, & omnem potestatem taliter translatus acquirat, ac si per electio- nem, aut alium legitimum provisionis modum obrinisset. 3. Quod vacet prior Ecclesia ipso jure, postquam in translationem consensit transferendus Episcopus, etiam ante acquisitam pos- sessionem posterioris Ecclesiæ, ne trans- latus taliter Episcopus, duarum Ec- clesiarum sit sponsus, quod spirituale adul- terium esse videretur.

